

LVNÆ DIE 19 M. AVGVSTI A. 2013  
A.d. XIV Kal. Septembres a. MMXIII

I 75

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128



# DE TERRIBILI QVADAM CONIVRATIONE

**Q**uis non videt institutionem scholarem in Orbe Occidentalí intra proximum præteritum semisæculum pessimam esse factam? Causæ huius corruptionis exquirendæ sunt.

Paucis ante diebus dono mihi datus est liber terribilis,<sup>1</sup> quo agitur de scholæ discrimine in Francogallia. In præfatione Bernardus Lecherbonnier, historicus, laudat effectus systematis scholaris, quale in Francogallia institutum erat legibus ab administro Iulio Ferry anno 1882 latis. Non solum publica schola prima ria omnibus pueris puellisque fiebat obligatoria et gratuita, sed etiam in singulis departimentis administrativis creabantur «scholæ normales», quibus formarentur scholarum magistri. Hæ leges præsertim proderant puellis et pueris ruri viventibus.

Hoc systema fuit eximium «anabathrum sociale», dilucida figuratio, qua Bernardus Lecherbonnier utitur ut significet etiam pueris puellisque loco humili aut remoto natis facultatem datam esse accedendi ad munera superiora; ipse filius est tabellarii.

Libri auctor, in Schola Normali Superiore eruditus, triginta annos docuit discipulos, deinde alumnos classium, quibus parantur ad Magnas Scholas; eius experientia eo magis valet, quod et ruri et in provinciis et in aliquo Parisino suburbio immigratis pleno docuit.

Quid hodie comperiunt magistri? Discipuli cogitare non valent, mentem haud libenter exercent; in classe terminali vix legere et scribere sciunt; tædio eis sunt lectiones; cum interrogantur, monosyllaba balbutiunt et in lethargiam statim iterum revertuntur.

Intra viginti circiter annos deleta sunt unius sæculi Reipublicæ conamina quibus vera æqualitas instituere tur inter totius Francogalliae discipulos. Quomodo ortum est tantum discipulorum intellectuale damnum?

Huiusmodi clades non fit sua sponte, sed ex consilio; quod consilium, etsi unicum, originem habet duplum.

Post magnum populi motum anni 1968, libertatis fautores traditam scholam everterunt atque auctoritatem magistrorum professorumque labefecerunt. Eorum loco ad institutionem scholarem regendam imposuerunt «neo-pædagogos», qui nullam habent docendi experientiam, et didacticam præponunt scientiæ tradendæ.

Eodem fere tempore ortus est neo-liberalismus, qui solum eget hominibus modernæ œconomiæ utilibus; ei sufficiunt homines sine præterito, sine historia, sine fundamentis. Sic fit ut et sinistræ politicæ factiones et dexteræ ad eundem effectum ducant.

Discipulus est centrum systematis, proclamant politici sinistræ factionis. Hoc æque stultum est ac si dicerent magistrum esse centrum systematis; bona institutio fit ex dialectica coniunctione magistri cum dis-

cipulo; et discipuli et magistri iura et officia habent. Discipuli iure possunt exigere ut in schola erudiantur. Magistrorum officium est eos docere atque exigere ut laborent; hæc est tradita institutio, sana et frugifera. Quid autem nunc audimus? Oportet magister discipulos auscultet; oportet discipuli erudiantur solum cupiditate discendi moti; eis insinuatur fieri posse ut erudiantur sine labore; oportet ludicrum substituatur labori. Dicuntur miseri discipuli labore obrui rhythmo scholari, pondere thecæ scholaris, calendario feriarum, horario laophororum, pensis: quale ergasterium!

Scholæ factæ sunt «loca vitæ». Informatio ibi substi tuenda est scientiæ, ut discipulus fiat civis; cautela viaria, sanitas, œcologia, SIDA, tabacum, saccharata, alia eiusdem farinæ inculcantur horis, quibus lectiones habendæ sunt.

Collegium unicum, ubi in classibus una sedere coguntur discipuli ingenio diverso, iam diu demonstravit suam extraordinariam vim destructivam; ergo non inconsulto servatur.

Demagogi autumant se «elitismum» eradicare velle, sed re vera duplex genus institutionis nunc in Francogallia exstat: in paucis enim lyceis, quattuor Parisiis, Henry IV, Louis le Grand, Fénelon et Saint Louis, unum, Lakanal, in suburbio *Sceaux*, unum Strateburgi, unum Nicææ et unum Tolosæ, quæ omnia sita sunt in locupletiorum vicis (exstat enim obligatio frequentandi lyceum sui vici) non sæviunt neo-pædagogi, nullæ fiunt reformationes, discipuli ibi discunt modo tradito... effectu tradito.

Hoc modo electissimi civitatis oriuntur e solis locupletiorum vicis, atque eis longe plurimis, quibus hæc lycea frequentandi facultas non datur, nulla spes est ad superiorem civitatis ordinem accedendi.

Populus sine historia fortasse est imbecillus felix. Populus sine gustu, sine bellis artibus, putat televisi onem spectacula præbere magnæ qualitatis; sic «lavatio cerebri» hodie incohatur in schola.

Sed tempus est veritatem patefacere, ut ipsi cives regentes cogant systema mutare. Accipienda est diversitas ingeniourum; non omnes pueri apti sunt ad easdem res discendas, neque eodem modo; non omnes valent æque diu scholam frequentare. ☩

Gaius LICOPPE

1. Jean-Paul Brighelli, *La Fabrique du Crétin. La mort programmée de l'école*, Paris, Gallimard, 2005. *Crétin* imprimis designat vir debilitate mentis affectus propter defectum glandulæ thyroïdeæ; tales homines inveniebantur in regionibus, ubi iodium deest in cibis. Sensus derivatus, nostris temporibus adhibitus, est contumelia «stupidus», cum colore despectus.

## NVM IN MVRIS LICEAT SCRIBERE

- *interrogat Francisca Deraedt -*

**D**ing Jinhao. Sic vocatur. Hoc ipse voluit sciri, nec efficacius agere potuit, cum totus orbis terrarum nunc garriat de petulanti adulescente qui nomen suum nuper Thebis (*Louxor*) inscrisit in templo pharaonis Amenhotep III. Imago ventris dei Amon, nomine iuvenis Nankinensis pulchre ornati, in reti mundano milles et millies exhibita, adulescenti famam attulit quam fortasse non ita desideravit.



«Ding Jinhao hic fuit.» Hunc titulum in interreti divulgavit aliis periegeta Sinensis sacrilegio iure et merito indignabundus. Res inflata est, non solum apud opinionem publicam, sed etiam ab ipso administratio rerum extranearum, qui palam monuit Sinensibus viatoribus peregre ambulantibus respiciendum esse certum agendi modum. Fatendum est 83 millones Sinensium, qui per orbem nunc itinerari solent delectationis causa (anno 2010 decem tantum erant millones), novis divitiis nondum assuetos sæpe videri turbulentos maleque educatos.

Miser ergo adulescens toti mundo invititus ostendit se rudem esse necnon stultum.

Quamquam quod exemplum olim præbuerunt magni quidam homines? Mos aliquando fuit nomen proprium ubique imponere. Quæ consuetudo Francisco Renato de Chateaubriand (1768-1848) nullo modo videbatur pudenda, sed potius pie respicienda; quippe qui in opere *L'itinéraire de Paris à Jérusalem* inscripto de Ægyptiacis pyramidibus scripserit hæc: «Domino Caffe mandavi, ut illis magnis sepulcris inscriberet nomen meum, ut fieri solet, ut primum occasio daretur: observanda enim sunt omnia pii viatoris officia.» Et, aliquanto peius, de Athenis hæc: «Sumpsi, cum de arce descenderemus, Parthenonis frustum marmoreum; iam carpseram fragmentum sepulcri

Agamemnonis; atque ab eo tempore aliquid semper surripui e monumentis, quæ invisi.»

Chateaubriand, magnus ille scriptor romanticus, Francogalliae gloria, quem Victor Hugo – hoc saltem fama fert – tantum admirabatur ut diceret «Volo esse sive Chateaubriand sive nihil», superbus iste vir sine ullo pudore nomen ubique scribere sculptosque lapides rapere solebat, hoc unum dolens, quod dominus Elgin maiorem et pulchriorem haberet huiusmodi copiam domesticam.

Interea in Ægypto res sunt ordinatæ atque inscriptio iuvenis Ding Jinhao iam est deleta. Deleta? At quid cogitarent archæologi, si Pompeiis illo tempore vigiles publici muros curavissent purgandos? Hoc quanto nobis esset detrimento! Muralibus enim inscriptionibus tot comperire possumus de Romanorum vita cottidiana. Romani autem, et peculiariter Pompeiani, permulta parietibus mandabant. Scribebant in muris iucundæ memoriae causa:

ANTIOCHVS  
HIC MANSIT  
CUM SVA  
CITHERA.

Quæ inscriptio, nescio cur, habetur ut erotica; archæologis, si propriam persuasionem proferre licet, mira est phantasia; ut mihi quidem videtur, Antiochus cum Cithera ibi per totum tempus postmeridianum sedere potuit de cæli colore iucunde colloquens. Aut scribebant ad exprimendos animi motus:

NVGÆ  
NVGÆ.

Ad amicos salutandos:

SODALES AVETE.

Ad rationes faciendas. Quas mirabili modo conscriptas nos non tam facile intellegimus. Etiam ad ostentandam doctrinam (nonnumquam magnam, ut patet ex hoc exemplo):

ARMA VIRVMQVE.

Scribebant etiam ne quemquam fugeret alicuius præconium comitiale:

M. CASELLVM MARCELLVM ÆD(ILEM)  
AGRICOLÆ ROG(ANT).

# QVÆSTIONES HODIERNÆ

Aut etiam eo, quod in singulis latet poeta, nec omnes fortunam habent bonum editorem inveniendi :

QUISQUIS AMAT VALEAT, PEREAT QUI NESCIT AMARE  
BIS TANTO PEREAT QUISQUIS AMARE VETAT!

Denique non sine philosophia :

ADMIROR O PARIES TE NON CECIDISSE RUINIS  
QUI TOT SCRIPTORUM TÆDIA SUSTINEAS.<sup>1</sup>

Saltum nunc faciamus sat magnum, ac transeamus ex antiqua Italia in hodiernam Belgicam, ubi nuper orta est controversia de quibusdam titulis servandis aut non servandis, id est, si rem aliis verbis exprimere volumus, de respiciendo simul memoriae officio et proprietate privata. Rem tibi, bone lector, hic enarrabo.<sup>2</sup> Inter secundum bellum mundanum, Bruxellis in eleganti via Ludoviciana, Germanorum custodia secreta *Gestapo* vocata tres magnas domus corripuerat (numeris 347, 453 et 510 signatas, si quando illac ambulare tibi sit in animo).

Eis tristibus temporibus in his ædificiis multi homines retenti sunt et cruciati. Cellariorum muri adhuc testantur dolores, obsecrations, desperationem, etiam supremas voluntates eorum qui ibi passi sunt horrenda. In eis enim adhuc legi possunt sermones huiusmodi: «Caræ uxori... antequam moriar... tibi tribusque liberis... ultimas cogitationes...»; «Potius moriar quam genu flexo vivam»; «Mater, soror, quam diu separati erimus?»; et nomina, dies, valedictiones, verba amatoria, fidei professiones. Tituli tectorio sive graphide sive nonnumquam etiam ipsis unguibus inscripti.

Postea, bello concluso, domus restitutæ sunt pristinis possessoribus. Homines non iam cogitare volebant




de rebus difficilibus; ea de causa inscriptiones collectæ non sunt. Cellaria eorumque tituli in oblivionem pauperrim iiverunt.

Anno demum 1996 nonnulli tamen horum titulorum recepti sunt pellicula cinematographica, deinde iterum anno 2011. Quod partim tantum fieri potuit, repugnantibus plerisque cellariorum possessoribus. Res apud Senatum iam compluries est in utramque partem disputata, adhuc frustra, cum politici componere non valeant publicam utilitatem cum privata. Historici tamen clamare pergunt hæc testimonia omnino esse publicanda, nec decidere sunt parati.

Num in muris liceat scribere? Quæstio manifesto maior est, quam primo videbatur. ☺

1. Hæc et plurima alia collecta sunt in quarto volumine *Corporis Inscriptionum Latinarum*, Pompeis, Herculaneo Stabiisque dicato.

2. Symbola de hac controversia divulgata est in *La Libre Belgique*, 17 m. Iunii, p. 8: «Des graffitis à préserver pour l'histoire». Vide etiam: Daniel Weyssow (ed.), *Les caves de la Gestapo. Reconnaissance et conservation*, Paris, Kimé, 2013.



# PAVCA DE LVDOVICO VIVE, IVVENE CICERONIS LECTORE,

ÆTAETEILLA QVA IN PHILOSOPHIS OMNIBVS ARISTOTELES REGNABAT<sup>1</sup>

– *scripsit Iosephus Antonius Carrera* –

Prius, lector benevole, abs te veniam petiverim, quam hanc commentatiunculam illotis, ut est in proverbio, manibus aggredi incipiam. Non enim sum Philosophiæ Latine illustrandæ peritus, quum propter hanc mediocrem utriusque facultatis scientiam, tum propter ingenii mei tarditatem obtusamque huius mentis aciem. Quocirca, siquid, his in commentariolis mendose scriptum vel crassiore, ut aiunt, vel etiam invita Minerva dictum reppereris, mihi, precor quæsoque, ignoscas. Quum tamen nihil fere prius habeam quam ut per hanc linguam Latinam, quam unice amo, Philosophiam excolere studeam, amicis omnibus quorum fortasse hæc legere intersit, quid recens de philosophicis quæstionibus Latine legerim quidve de eis omnibus senserim paucis referre statui. His igitur dictis, veniaque, ut spero, ab humanissimo lectore impremita, securus exordiar:

Perlecto Ludovici Vives opusculo *De initiiis, sectis et laudibus Philosophiæ*,<sup>2</sup> variis ex indiciis facile adducor ut credam Johannem nostrum Ludovicum, tunc temporis et præstantis ingenii et ampliore in dies doctrina excultum iuvenem, nixum esse, inter alia, Ciceronis libris *Tusculanarum Disputationum*<sup>3</sup> ad id opusculum concinnandum.

Etenim, quum aliis ex indiciis, tum hoc loco id quod conjectura sum assecutus confirmari posse credo, nam Tullius in quinto Tusculanarum, philosophiam veluti studium doctrinæ sapientiæque summopere laudat, atque, inter alia, hæc scripsit:

«... est autem unus dies bene et ex præceptis tuis actus peccanti immortalitatí anteponendus». Iohannes vero noster Ludovicus Vives opusculo suo, quo divinis ornat laudibus talem Philosophiam, hisce verbis finem facit «quum sit unus dies, bene et ex præceptis huius, actus, toti etiam immortalitatí anteponendus».

Talem enim scripsi philosophiam, quod uterque scriptor, amplissimo videlicet temporis intervallo inter sese disiunctus, similem, nisi toto cælo erro, de Philosophia tamquam studio et doctrinæ et sapientiæ notionem habebat. Non enim agitur hic de Philosophia quam, strictiore sensu, hisce novissimis temporibus secernimus a scientiis empirico-mathematicis dictis, sed de quovis studio sapientiæ ac doctrinæ, deque veritatis indagatione ad humanitatem excolendam.

Alterum afferam exemplum, locum enim in quo iuvenis ille Vives rettulit de origine vocis Philosophiæ a Pythagora Samio, modestiæ causa, fictæ:

«Pythagoras ille Samius Philuntem quum venisset, sicut ab Heraclide Pontico memoriæ proditum est, fertur a Leone Phliasiorum tyranno rogatus qua ipse arte maxime valeret, et quo se nomine insigniret, se artem

ille respondit habere nullam, verum esse philosophum; admiratus nominis novitate tyrannus, nam superiores, quorum erat Pythagoras similis, nec forte impar, σοφοὺς sese, hoc est, sapientes appellarat, Pythagoras vero nomen illud ipse sibi confinxerat; rursus quæsivit quid nam philosophus, quidve discriminis esset inter eum et sophum. Tum Pythagoras præclare reputans non magis ad sapientiam, quam ad veram beatitudinem, mortalium quenquam posse in vita hac pervenire, tantum nomen sapientis, velut invidiosum, non ausum se contingere, dixit, quum suas vires eiusmodi appellationi satisfacere non posse sentiret, imparque esset nomini tam augusto, idcirco sese φιλόσοφον nominasse, quasi amantissimum, vel quasi studiosissimum sapientiæ, non socium eius, quod priores utpote sophi profiteri visi sunt, sed clientem atque sectatorem, sed eum qui ex illius præceptis et institutis vive, qui edictis illius parere maxime gaudeat; ita verecundiore posthac, maiorisque modestiæ, minoris invidiæ nomine appallatum est philosophiæ studium, quod prius sophiæ, et studiosi philosophi qui antea sophi dicebantur.»

Quæ quidem omnia facile comparantur cum his quæ Tullius olim scripserat in quinto *Tusculanarum*:

«... omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagoræ manavit ætatem. Quem, ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntē ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quædam. Cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum: artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum.»

Quanti igitur momenti fuerint illi *Tusculanarum* libri quum aliunde fortasse, tum ex hac ipsius Erasmi Roterodami, quem minime gentium inter *Ciceronianos* morosiores numerandum esse persuasum habemus, epistula<sup>4</sup> ad Iohannem Ulattenum colligere possumus:

«Quoties inter legendum exspuebam in stolidos istos, qui in Cicerone nihil præclarum esse dictitant præter verborum phaleras! Quam illic est varia lectio voluminum, quæ doctissimi Græci de recte beateque vivendo reliquerunt! Quanta vis! quanta copia salubrium et sanctissimorum præceptorum! quanta cognitio, quantaque memoria priscarum simul et recentiorum historiarum! Tum autem, quam alte cogitationes de vera hominis felicitate! quæ plane declarant illum hoc egisse, quod docebat! Iam vero in explicandis rebus procul a communi sensu ac sermone populari semotis, quasque multi desperabant Romana lingua



Cicero puer legens (V. Foppa, c. 1464 - Wikimedia)

tractari posse, quæ perspicuitas, qui candor, quæ facilitas, quæ copia, quæ denique festivitas!»

Quamquam, si Friderico Augusto Wolfio, viro eruditissimo fidem adhibemus, *Tusculanæ* illæ *Disputationes* rarius in scholis discipulorum manibus terebantur – illa saltem Wolfii ætate, ducentis videlicet vel etiam pluribus annis post Ludovicum illum Vivem – quam alia Ciceronis opera philosophica, ut puta, *de Officiis*, multo tamen, teste eodem Wolfio, accommodatores atque digniores sunt, quibus aditus ad Philosophiam per linguam Latinam excolendam tironibus præbeatur expeditior ac tutior. Quam quidem magnam *Tusculanarum* utilitatem fortasse iuvenem illum Vivem vel eius præceptores ineunte sæculo sexto decimo minime fugit. Ipsius igitur Wolfii verba legamus in *Præfatione*<sup>5</sup> ad Ciceronis *Tusculan.* *Disput.*:

«In libris Ciceronis iis, quibus philosophia e Græcis hausta fontibus populari ratione illustrantur, nullum arbitror esse disciplinæ scholasticæ magis idoneum quam hunc *Disputationum*, seu, ut vulgo inscribitur, *Quæstionum Tusculanarum*. Sive enim res et argumenta spectemus, ea in hoc ita sunt de medio sumpta et communi intelligentiæ obvia, ut ipsa facilitas alliciat ad legendum; tum admirabilis inest copia sententiarum et præceptorum, quibus ingenium non prorsus servile ad excelsos de rebus humanis sensus imbuatur: sive Latine de locis philosophiæ scribendi loquendive magistrum quæras, quem omnino nullus est Cicerone melior, tum hic maxime liber eius ea scriptus est orationis forma, qua, quamvis id de industria non agas, in utraque facultate magnopere te adiuvari sentias. Ut sit igitur reliquis ex hoc genere libris, nominatim illis qui sunt *de Finibus* et *de Officiis*, minus doctus ac perpolitus; uti est sane (nimirus unius vel duorum mensium videtur fetus esse): tamen id nullo modo obstat quo

minus ei usui, quem dixi, imprimis accommodatus videri debeat. Immo latet in hac ipsa re quiddam, unde sollerti magistro duce tirones nova quædam præsidia petere queant ad intellegendum et ad iudicandum. In iis enim quæ parum subtiliter disputat consularis philosophus, ut de immortalitate animorum, de ægritudinis definitionibus Cyrenaicorum et Epicuri, de Peripatetica defensione perturbationum, multisque aliis locis, infinita nascitur materia philosophandi, si quis, eleganti orationis vestitu detracto, animum ad ipsius disputationis et ad rerum cognitionem traducat: qua exercitatione nullam novi efficaciorem palæstram eùphūias. Denique nondum video cur ætatem in elementis hærentem statim a limine ad optimorum scriptorum præstantissima quæque ducendam putemus, si eorum lectio obscuritate rerum impedita sit; quem præsertim talium operum virtutes non aliter quam comparatione leviorum sentiri cognoscique possint. Itaque nisi singulares quasdam causas olim versatas sciremus in scriptorum, qui iuventuti prælegerentur, delectu habendo; mirandum esset, libros *de Officiis*, etsi multo, ut dixi, accuratius scriptos, verum tamen isti ætati minus utiles, in plerisque scholis regnare, *Tusculanis* vix unius et alterius magistri beneficio locum concedi.»

Una tamen mihi hæc consideranti exoritur dubitatio num Vives ille iuvenis ea omnia quæ *Tusculanarum* libris contineantur tanquam exemplaria ac vera sibi proposuerit Philosophiam illustri laude celebranti elegantique sermone concinenti, nam ubi utriusque scriptoris ea confero quæ ad Peripateticorum disciplinam spectant, Vivem aliam ingressum esse viam atque Ciceronem – quibus tamen de causis dicere non certus quo – sat dilucide appetet.

Etenim Vives Aristotelem aliosque ab Stagiritæ disciplina profectos tantis cumulat laudibus ut eos ad deorum naturam proprius quam ad humanam accessisse credideris, unumque affert Ciceronis locum ubi Peripateticos aperte laudat. Qui quidem locus est in quinto *De Finibus*<sup>6</sup> libro:

«Ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes extiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poetæ, musici, medici denique ex hac tamquam omnium artificum officina profecti sunt.»

Attamen, in Ciceronis opere superius laudato, *Tusculanarum* dico libros quinque, Tullius graviter atque acriter perstringit Peripateticos, quorum auream

illam mediocritatem sæpius ac ubique fere in moralibus decantatam carpit improbatque. Etenim, in libro tertio hæc:

«Hic mihi – *inquit Tullius* – adferunt mediocritates. Quæ si naturales sunt, quid opus est consolatione? natura enim ipsa terminabit modum; sin opinabiles, opinio tota tollatur.»

Et in quinto quum alia, tum scripserat Cicero:

«Quid, quod idem Peripatetici perturbationes istas, quas nos extirpandas putamus, non modo naturalis esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas? Quorum est talis oratio: primum multis verbis iracundiam laudant, citem fortitudinis esse dicunt, multoque et in hostem et in improbum civem vehementioris iratorum impetus esse [...] Quid ad has definitiones possim dice-re? [...] sunt [...] illa quidem ex rhetorum pompa: ‘ardores animorum cotesque virtutum’.

Adde quod eo in quinto *De Finibus* libro, ex quo locum superius laudatum decerpserat Ludovicus noster, Cicero Aristotelem philosophum infra Platonem habendum esse affirmat. Quam, ut præteriens dicam, Ciceronis sententiam Vives Peripateticos supra modum fortasse laudans, omisit quum Tullii locum referret. Cicero enim scripserat:

«Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem excepto Platone haud scio an recte dixerim principem philosophorum.»

Quid igitur causæ fuit – præter ipsum scilicet criti-cum ac liberum animi iudicium – cur Vives, quum iuvenis esset, non ea in parte assensus sit illi Ciceroni, cuius tamen *Tusculanarum* libris – inter alia opera – nixus esse videatur ad opusculum *De Philosophiæ lau-dibus concinnandum*, planius fortasse intellegam aliquando si altius ac penitus incubuero in historiam philosophicam, in historiam rerum gestarum cultusque civilis, etiam in litterarum Latinarum historiam, in ipsa denique tempora in quibus Ludovico nostro, tum iuveni doctissimo præclarique ingenii, vivere contigit. Illam certe ætatem dico qua Tullius Cicero tantis laudibus prædicabatur a plerisque, ni fallor, studiorum Humanitatis cultoribus, – quos tamen suspicor non tantopere polluisse quam illius Stagiritæ cultores sectatoresve –.

Quid demum causæ fuit cur adeo Vives Aristotelem Peripateticosque fere omnes laudaverit, paulo melius fortasse intellegere possim si in eadem certe studia Historica supra dicta diligentius incubuero. ☩

1. In omnibus philosophis Aristotelem regnasse scripsi, sententiolam confor-mans meam ad Ciceronis exemplar, qui olim in epistula scripserat: «Nunc si me tanti facis quanti certe facis, quoniam equitum centurias tenes, in quās regnas, mitte ad Lupum nostrum». Epistolæ ad Familiares, II, 16.

2. Joannis Ludovici Vivis Valentini opera omnia... Tomus III, Valentiæ Edetanorum, a. MDCCCLXXXII.

3. M. T. Ciceronis *Tusculanarum Disputationum* libri quinque. Recognovit et explanavit Dr. Raphaël Kuhner. Editio quarta auctior et emendatior. Jenæ, MDCCCLIII.

4. Hanc Erasmi epistulam repperi in Ciceronis *Tusculanarum* editione, ni fal-lor, a Reinholdo Klotz Lipsia a. 1835 facta.

5. M. Tullii Ciceronis *Tusculanarum Disputationum* libri quinque ex recensio-ne Frid. Aug. Wolfii secundis curis emendatiore. – Lips. 1807 impensis Siegfr. Lebr. Crusii. Praefatio pp. XVI. Prior recensio prodierat Lips. 1792.

6. M. Tullii Ciceronis *De Finibus bonorum et malorum* libri quinque.

Recensuit et enarravit D. Io. Nicolaus Maduigius. Hauniæ MDCCCLXXXIX.



Johannes Ludovicus Vives (Biografiasyvidas.com)

## DE IMMENSO CÆLO (VII)

(1742-1860: BRADLEY, HERSCHEL, LAPLACE, VON FRAUNHOFER, KIRCHHOFF)

— *scripsit Gaius Licoppe* —

Aristotelis crystallina sphæra hærentibus stellis sparsa, quæ per undeviginti circiter sæcula in maiorum nostrorum mente Universum quiete involvit, post observationes Tychonis Brahe evanuit.

Omni ævo homines admirati sunt immutabiles Solis planetarumque motus; septimo tamen decimo sæculo Newtonus, legis gravitationis universalis inventor, putabat sistema solare instabile fieri posse. Edmundus Halley systemati solari addidit singulares orbitas cometarum, quæ inter planetas vagantur.


De natura lucis Hugenius elaboravit theoriam undulatoriam, cum Newtonus putaret eam constare e minimis corpusculis; nam tunc incertum erat utrum lux fieret sine an cum motu. Aristoteli lux erat proprietas obiectorum et fiebat sine motu, id quod in orbe christiano diu acceptum est. Iam tamen sæculo tertio decimo Rogerus Bacon in opere *De perspectiva* scribat hoc: «... si ergo lucis multiplicatio est in instanti nec in tempore quia tempus non est sine motu. Sed impossibile est instans esse sine tempore sicut nec punctum sine linea.» Usque ad septimum decimum sæculum sunt docti non minimi, ut Keplerus et Cartesius (Descartes), qui putent lucis propagationem esse subitam.

Ole Römer, Danus astronomus, orbitam Ius, Iovis satellitæ, anno 1676 observans non solum demonstravit luci esse motum, sed etiam valuit primam eius celeritatis mensuram (nondum omnino exactam) facere.

Ineunte duodecimmo sæculo nondum irrefutabiliter demonstratum est Copernici sistema heliocentricum cum natura congruere; hoc tandem facere valet Iacobus Bradley (1693-1762) ruri natus et ad astronomiæ studium adductus ab avunculo astrologo amatorio. Post eius studia in universitate Oxoniensi perfecta Edmundus Halley suadet ut Bradley ad Regalem Societatem Londiniensem asciscatur. Idem deinde pastor ordinatur sed non diu res ecclesiasticas curat. Anno 1721 evocatur ad astronomiæ cathedralm universitatis Oxoniensis.

Anno 1725 Iacobus Bradley observationes incohatae stellarum parallaxin metiendam, unde earum distantia a Terra possit computari. Sunt duæ parallaxes iam explicatae in prima adnotatione symbolæ «De immenso cælo IV» inscriptæ.<sup>1</sup> Agitur autem de parallaxi annua, quæ observatur post intervallum sex mensium; tum distantia inter observatoris positiones A et B est diameter orbitæ terrestris; hæc tamen parallaxis exstare non potest, nisi in systemate heliocentrico, ubi Terra circum Solem circumagit.

Iacobus Bradley eligit stellam  $\gamma$  in sidere Draconis<sup>2</sup> et post unum annum obstupefactus comperit transla-



Schema parallaxis annua. (in « De immenso cælo IV - Wikipedia »)


tionem stellæ imaginis tales non esse, qualem exspectabatur, sed formam ellipsis habere. Tres annos cogitat, antequam explicationem invenit. Translatio quidem stellæ  $\gamma$  imaginis non tribuenda est parallaxi; nam tam longinquæ sunt stellæ, ut angulus earum parallaxis nimis exiguis sit neque instrumentis illius temporis mensurari possit; hoc vero nescit Iacobus Bradley.

Translatio elliptica stellæ  $\gamma$  imaginis tribuenda est phænomeno adhuc ignoto, quod vocatur «aberratio lucis»; hæc non pendet a distantia stellæ.


Ad intellegendam rem satis subtilem, iuvat comparatione uti. Finge tibi, benevole lector, autocinetum, dicamus, annis tricesimi vicesimi sæculi exstructum. Eius vitrum anticum est verticale; si quando imber verticaliter cadit in autorædam immobilem, pluviæ guttæ vitrum anticum non tangunt; e contrario, si vehiculum prorsum movetur, guttæ videntur non verticaliter cadere, sed oblique ad vitrumanticum; si vehiculum retrorsum movetur, guttæ etiam oblique cadunt sed in adversam regionem, i.e. longius a vitro antico.

Hoc exemplo facilius intellegitur imago infra exhibita, ubi telescopii tubus (schematicè delineatus), solum cum sit proclivis, radium stellæ capere potest, quamquam ipse radius in Terram cadat verticaliter; telescopium enim celerrime movetur una cum Terra circum Solem.

Dum Terra una cum telescopio intra unum annum circum Solem movetur, alternatim stellæ appropinquat



In hoc schemate monstratur tubus telescopii in motu secundum sagittam; in prima positione to non recipit lucis radium a stella verticaliter provenientem, sed solum in positione  $t_2$ , quo fit ut stella videatur esse alio loco (astronomie-smartsmur.over-blog.com).



Maximum Villelmi Herschel telescopium (Wikipedia).

et ab ea recedit; sic fit ut stellæ imago intra hunc annum appareat in continuis positionibus, quæ ellipsis delineant. Hoc phænomenum ergo non pendet a distantia stellæ, quæ manet ignota, sed solum a motu Terræ circum Solis, qui sic primum irrefutabiliter demonstratur. Etiam generaliter demonstratur motum falsam rerum imaginem dare et hoc eo magis, quo augetur celeritas.

Anno 1742 Iacobus Bradley succedit Edmundo Halley ut rector Regalis Observatorii *Greenwich*.

In hac symbola solum loquemur de astronomis, qui aliquid maioris momenti contulerunt ad cæli investigationem spectans. Inter eos omittere non licet Villelum Herschel (1738-1822) Hannoveræ natum in ea Germaniæ septentrionalis parte, quæ tunc erat in regis Angliæ ditione. Hac de causa Herschel diu vixit in Anglia. Res mira, imprimis est musicus, compluribus instrumentis canit ac modos musicos componit.


Non ante quadragesimum circiter annum astronomiæ incipit operam dare. Ipse conficit suum primum telescopium et præsertim querit stellas duplices, quarum permultas invenit; primus ex observatoribus colligit eas esse pares et vi gravitationis coniunctas.

Inter annos 1782 et 1802, dum profundum cælum diligenter explorat, Villelmus Herschel invenit usque ad 2.400 lucentia, quæ aspectum magis nebulosum quam stellæ præbent atque «nebulæ» ab eo vocantur (*Catalogue of 500 new nebulæ*, 1802); vocabulum «nebula» tum designat omnia in cælo lucentia, quæ aspectum sive extentum sive diffusum præbent.

Anno 1783 sorori Carolinæ dat telescopium, quocum ipsa quoque inventa in astronomia facit, inter quæ præsertim cometas.

Decursu suæ vitæ Herschel fabricat amplius quam 400 telescopia; eorum maximum inter annos 1785 et 1789 exstruit pecunia a rege Georgio III oblata.

Hoc maximum telescopium sustinetur structura lignea, quæ in orbem ita versari potest ut omnes cæli regiones observentur; eius speculum concavum habet




Hoc schemate monstratur nova positio oculariae in «telescopio Herscheliano» dicto. Alterum speculum, quod necessarium erat in «telescopio Newtoniano», hoc modo tollitur, quo vis lucis in telescopio captæ minus minuatur; in speculis enim vis lucis magnam partem attenuatur (serge.bertorello.free.fr).

diametrum 1,26 metri eiusque longitudo est 12 metrorum.

Tempus iam non est putandi stellas immobiles esse in cælo. Villelmus Herschel observat stellarum motus et primus est qui comperiat ipsum sistema solare moveri et in quam directionem. Conatur formam Viae Lacteæ, in qua Sol movetur, definire et ex observatione permultarum stellarum colligit eam esse nebulam spiralem et biconvexam.

Anno 1800 Villelmus Herschel fortuito facit invenitum maximum. Cum varia cola ad vim Solis lucis attenuanda apta experiatur, rem singularem animadvertisit: post colum rubrum temperatura maior est, quam post colum aliorum spectri colorum. Tunc iterat Newtoni experimentum, quo prismate radium lucis in spectrum complurium colorum solvit, et comperit sub colore rubro temperaturam maiores esse quam alibi in spectro; unde recte colligit sub rubrum esse radium invisibilem, qui calorem vehit: invenit radios infrarubros.

Omitti non potest Petrus Simon Laplace (1749-1827), humili loco in Normannia natus; cum eximio ingenio videretur præditus, locupletiores vicini ei facultatem studi dederunt. Viginti annos natus Lutetiam petit, ubi præclarum mathematicum d'Alembert adit. Comperto eius miro ingenio, d'Alembert ei munus obti-



Via lactea (in circulo est Sol).

net mathematicæ professoris in Schola Militari. Inde ascensio socialis Petri Simonis mirum in modum continuatur per tempora valde perturbata, quæ patitur Francogallia. Post magnam rerum eversionem docere pergit in scholis superioribus. Anno 1808, Napoleone I imperante, fit comes Petrus Simon de Laplace. Post Burbonorum restaurationem anno 1817 fit Par Francogalliae et marchio.

Haec incredibilis ascensio socialis non impedivit quin maximum tempus investigationibus astronomicis mathematicisque dederet. Eius maximum opus editur inter 1799 et 1825 sub titulo *La mécanique céleste*. Ibi præcipue Newtoni conspectum geometricum mechanicæ cælestis transformat in analysin mathematicam.

Newtonus putabat systema solare non fore in perpetuum stabile ac Dei auxilium necessarium fore ad stabilitatem restituendam; Laplace contra mathematice demonstravit hoc sistema stabile mansurum esse. Inde hæc fabella sæpe iterata: Napoleo aliquando visitavit comitem de Laplace eumque rogavit: «In opere Newtoni agitur de Deo, non in tuo; curnam?» «Quia, respondit, Deo non egeo in demonstratione mea mathematica.» Hoc plerumque interpretatum est ut Dei negatio, quod vehementer negabat Laplace; solum significare voluit in opere Newtoni esse partes non explicatas, quæ Dei curæ relinquebantur, cum in proprio opere nihil esset mathematicæ non explicatum.

In opere c.t. *Exposition du Système du Monde* (1796), Laplace primus excogitat Solem et planetas natos esse ex aliqua nebulosa, cuius gaza candescens, dum defervescent, glutinantur ad planetas formandos; in medio, Sol est reliquum nebulosæ. Haec theoria adhuc magnum partem accipitur.

In eodem opere notionem «collapsus gravitationalis» inducit; sunt loca in Universo, ubi vis gravitationis tam attractiva fit, ut etiam corpuscula lucis (a Newtono excogitata) retineantur; quare, cum ex his locis nulla lux emittatur, vocantur «voragine nigræ». Paulo fortasse ante idem excogitavit John Michell, Anglus physicus, astronomus geologusque (1724-1793).

Laplace operam etiam dedit ad formam mathematicam theoriae probabilitatum dandam; quæ theoria nostra hic non interest, nisi in præfatione libri c.t. *Essai philosophique sur les probabilités* legamus auctorem firmiter credere in «determinismum». Scribit enim: «Oportet habere statum præsentem Universi ut effectum eius prioris status atque ut causam status insequentis. Mens, quæ valeret uno temporis punto omnes vires in Natura agentes noscere necnon situm inter se omnium entium, quibus constat, si insuper valeret hæc data analysi mathematica tractare, talis mens cognosceret motus cum maximorum Universi corporum, tum levissimorum atomorum; nihil haberet incertum: futurum et præteritum haberet sub oculis.» Hæc determinismi professio diu accepta est a scientificis.

Supra vidimus Iacobum Bradley falso putavisse se

alicuius stellæ parallaxin metitum esse. Cum instrumenta semper fiant accuratiora, Germanus astronomus mathematicusque Fredericus Villelmus Bessel (1784-1846) anno 1837 tandem valet parallaxin stellæ 61 Cygni metiri, unde stellæ distantia facile deduci potest geometria triangulorum; distantia est 11 annorum lucis! Immensitas Universi tunc primum appetit.

Aliquid hic dicendum est de mensuræ unitatibus adhibitis ad Universum mensurandum. Duæ præcipue sunt in usu; prima est distantia media inter Terram et Solem; vocatur Unitas Astronomica (UA) = 149.597.870 Chm. UA adhibetur in mensuris intra systema solare, sed statim apparuit eam non sufficere ut notarentur distantiae inter Solem et ceteras stellas. Nova unitas mensuræ definita est, quæ vocatur Annus Lucis (AL), i.e. distantia, quam lux emititur intra unum annum: 10.000 miliarda chiliometrorum. AL = 63.241 UA. Tantos numeros vix valemus mente comprehendere.

Uranus, etsi solo oculo adspici potest in cælo sereno, ab Antiquis non habebatur ut planeta sed ut stella. Iohannes Flamsteed eam primus telescopio observavit a. 1690 eamque inscripsit ut stellam 34 Tauri 39. Villelmus Herschel a. 1781 comperit eam esse mobilem (lente movetur propter distantiam) eamque habet ut cometam; non miratur, quia iam permultæ cometæ detectæ sunt a diversis astronomis.


De invento suo Herschel certiore facit astronomum regalem Nevil Maskelyne, qui, inspecto cælo, dubitat utrum sit cometa an planeta. Inde complures astronomi in diversis regionibus conantur problema solvere. Russus astronomus, origine Suetus, Anders Lexell, computat huius corporis cælestis orbitam et, obstupefactus, comperit id esse planetam. Nemo inde iam dubitat num sit planeta, sed restat nomen ei dandum. Herschel in honorem Magnæ Britanniæ regis, Georgii III, eam nominat «Georgium Sidus» vel «Georgium Planet». Hoc vero nomen extra Britanniam non placet et diversa nomina proponuntur. Iohannes Elert Bode, rector observatorii Berolinensis, proponit «Uranus», nam, ait, cum Iuppiter sit filius Saturni, oportet novo planetæ detur nomen patris Saturni, quod est Uranus. Hoc nomen magis magisque in usum venit et ab omnibus tandem acceptum est, cum anno 1850 nomen Sidus Georgium disparet in *HM Nautical Almanac*.

Alia inventio undevicesimi sæculi, quæ in astronomia maximi erit momenti, vocatur «spectroscopia». Supra vidimus Newtonum solis lucem ope prismatis in complures colores dissoluisse; huic iridi dedit nomen, quod est «spectrum». Newtonus putabat lucem constare ex minimis corpusculis maxima celeritate vectis.

Anno 1752 Thomas Melvill, Scotus physicus, novum experimentum cum prisme facit; loco Solis lucis adhibet lucem lampadis alcohole alitæ, in cuius flammam spargit salem culinarium ( $\text{NaCl}$ ); in hoc spectro color flavus appareat ceteris intensior; multis annis post compertum est hunc colorem flavum esse insigne natrii ( $\text{Na}$ );

etiam vocatur sodium).

Anno 1801 Thomas Young, physicus, medicus multarumque aliarum rerum peritus, claro experimento demonstrat lucem esse phænomenum undulatorium. Solis lucem mittit in tabulam opacam, sed duobus parvis vicinisque foraminibus præditam. Duo radii secundarii e foraminibus orti eodem modo se gerunt ac in aqua duæ undæ altera alteri obviam cursantes: certis locis, si duæ summæ undæ concurrunt, cumulantur, si contra summa undæ et ima undæ concurrunt, adnullantur. Cum in albo post foramina posito non appareat area homogeneæ lucis, sed anuli alternatim clari et obscuri, natura undulatoria lucis demonstratur.




Experimentum Thomæ Young (Wikimedia).

Hoc experimentum iterum facit Villelmus Wollaston anno 1802, sed novo instrumento utens; loco enim foraminum ponit plurimas tenuissimas rimas iuxtapositas; imago ex his «rimis diffingentibus»<sup>3</sup> orta est longa tænia e lineis coloratis constans, cui secundum Newtonum, nomen spectrum datur. In hoc spectro primus detegit tenues lineas obscuras certis eisdemque locis apparentes.

Ioseph von Fraunhofer, Germanus opticus et physicus (1787-1826), Villelmi Wollaston experimentum ignorans, anno 1814 idem experimentum facit, accuratioribus tamen rimis diffingentibus utens, et lineolas obscuras quoque in spectro lucis solaris invenit, quæ inde ab eo nomine vocantur. Postero anno instrumentum conficit ad omnis lucis spectrum inspiciendum aptum, quod vocatur «spectroscopium».

Propter theoriam mathematicam rimarum diffringentium anno 1835 perfectam fieri potest ut lucis undarum longitudo (signo  $\lambda$  notatam) spectroscopio mensuretur, quamquam brevissima est i.e. nonnulla centena nm (nanometra =  $10^{-9}$  m = 0,000 000 001 metrum).



(Wikipedia)

Ab anno 1860 Gustavus Kirchhof, Germanus physicus et Robertus Bunsen, Germanus chemista, una spectroscopio utuntur in investigationibus chemicis. Kirchhof aliquid magni momenti demonstrat: spectrorum lineæ non sunt fortuitæ, sed constantes et specificæ alicuius elementi chemici; non solum spectrum multorum metallorum definiunt, sed duo metalla nondum nota spectro detegunt, quibus nomen datur cesium et rubidium.

Anno 1869 Russus chemista, Demetrius Mendeleiev, divulgat tabulam periodicam, qua ordine disponuntur elementa chemica secundum eorum pondus atomicum; multi loculi in reticulo sunt vacui, quare abhinc chemistæ viam a Gustavo Kirchhof creatam sequuntur ut detegant elementa nondum nota; sic brevi inveniuntur thallium, indium, gallium, scandium et germanium.

Pertinetne ad rem nostram hic digressus chemicus? Certe; spectra specifica trahere ex elementis candescensibus, miraculum est, sed cur non idem temptetur e luce stellarum, quæ re vera sunt corpora candescensia? Hoc factum est incredibili successu: etiam detegi possunt elementa, e quibus factæ sunt stellæ; est origo novæ scientiæ, astrophysicæ vocatae. ☺



In hoc pittacio cursuali in memoriam Iosephi von Fraunhofer edito, monstratur spectrum cum specificis lineolis obscuris (Wikimedia).

1. In: *Melissa* n. 172.

2. Draco vocatur unum ex 88 sideribus, quæ in cælo numerantur. Stellæ, e quibus constat, formam flexuosa delineant serpentis similem, unde eius nomen. Iam notum erat a Sumeriis, quibus erat dea Tiamat. In mythologia Græca erat draco, qui deam Athenam aggressus erat, vel draco a Cadmo trucidatus vel draco, custos Pellis Aureæ, vel draco Ladon, custos horti Hesperidum. Recentius draco, quem necavit Sanctus Georgius.

3. «Rimæ diffingentes» mihi videntur Latine bene reddere locutionem Francogallicam *réseau de diffraction*, Anglicam *diffraction grating*. Theodiscam *Optische gitter*.

# EPISTOLÆ OBSCVRORVM VIRORVM

## (III) «DISCE, BONE CLERICICE, VIRGINES AMARE»

*- quas legendas proponit Francisca Deraedt -*

**A**h! Bene fecerunt! Bene fecerunt, in præterito *Melissæ* fasciculo, quod dona magistro suo grati dederunt! Non omnes enim alumni gloriari possunt se tam bono esse fructos, quam fuit M. Ortvinus Gratius. *Epistolæ Obscurorum Virorum*, cum scholasticas doctrinas irrident, nos eadem occasione docent de alumno-rum condicionibus vivendi. Nec dubito, bone lector, quin his perlectis Providentiæ habeas gratiam, quæ permiserit ut, nostro ævo natus, academica studia aliquanto commodius perageres.

Transeunt sæcula, manent impedimenta: multi studentes nostro tempore sunt bursarii,<sup>1</sup> id est bursam sive stipendium accipiunt ad studia peragenda, qua haud raro vix sufficiente coguntur etiam labore quodam ipsi aliquantulum pecuniae merere. Iuvenis Cunradus, cuius hic subiuncta est epistula, de parentibus imprimis lamentatur filium negligenter:

«Cunradus Unckebunck M. Ortvino. Mirabile est, venerabilis domine Magister, quod parentes mei non mittunt mihi pecuniam, et tamen sciunt quod non habeo unum obolum, et scripsi eis bene viginti litteras. Si non volunt mittere mihi pecuniam, tunc per deum ego volo aliter facere. (...) Diabole, credunt quod sum natus super arborem, vel debo comedere fenum sicut animal? Diabolus auferat me si habui unum Carlinum<sup>2</sup> in sex mensibus; et semper nihil comedo nisi salatum et cepe et allium, et aliquando unum menestrum<sup>3</sup> de fabis vel herbis vel spinaciam more Italico. Ego bene scio quod fratres mei in patria comedunt pisces et aves et bona fercula, et non cogitant super me; sed ego non volo diutius pati, et debetis ipsis dicere. (...) Et rogo vos, quando parentes mei dabunt pecuniam, quod velitis mihi mittere. Et cum hoc mittatis mihi unum frustum de creta, quia in tota Roma non habent bonam cretam, etiam si velitis dare unum florenum pro ea; sed sicut scitis, oportet habere cretam, quia sum logicus; et quando volo facere syllogismum, tunc non habeo atramentum semper. Etiam est fastidiosum facere cum atramento; et mittatis mihi ligas Teutonicas ad ligandum caligas, quia faciunt ita malas ligas in Italia quod est mirabile.

Mitto vobis hic unam veronicam<sup>4</sup> quæ tetigit capita sanctorum Petri et Pauli et multas alias reliquias; et mitto vobis unum Agnus dei. (...) Valete plurime cum sanitate mentis et corporis. Datum Romanæ Curiæ.» (II, 19)

Haud raro fit, etiam nostris temporibus, ut alumnus parvum munus quærat, quo vitam possit sustentare, libros emere, minerval solvere. Recens investigatio

apud nos facta ostendit octoginta centesimas partes (80%) studentium Belgarum contentos esse suo munere. Non idem, ut videtur, dicere licet de alumno sexti decimi sæculi. Sumamus Bertholdum: cum studia Romæ faciat vixque pecuniam accipiat e patria, non sine difficultate quærat sibi patronum. Lege, bone lector, hic infra eius testimonium simul ac doctrinæ demonstrationem. Cum Bertholdus quattuor etymologias explicat vocabuli, quod est magister ('magis-ter', 'magis-terreo', 'magis-theron', 'magis-sedere'), præter iocum etiam patet iterum derideri scholasticas argutias. Ne quid dicamus de singulorum superbia, Germano munus iudicante magistro indignum, Romano se ipsum habente Coloniensis doctiorem.

«Bertholdus Hackstro magister Ortvino Gratio fraternalem dilectionem loco Salutis.

Honorabilis vir, (...) scire debetis quod nunc fui per duos menses in Urbe Roma, et non possum habere patronum. Unus auditor Rotæ voluit me suscipere. Tunc fui lætus et dixi 'Bene est, domine, sed magnificencia vestra velit mihi dicere quod debo facere.' Respondit quod debo esse in stabulo et unum mulum servare in ordine, dando ei comedere et bibere, et strigilando et mundificando. Et quando ipse vult equitare, quod sit paratus. Et habeat frenum et sellum et omnia. Et postea debo currere et cum eo ad audientiam et iterum ad domum. Ego dixi quod non est pro me, quod sum et magister artium Coloniensis et non possum talia facere. Respondit ipse: 'Si non vis facere, tuum damnum.' Et sic credo quod volo iterum ire ad patriam. Deberem strigilare mulum et purgare stabulum ego potius vellem quod diabolus auferet illum mulum cum stabulo. Etiam credo quod esset contra statuta universitatis nostræ: quia Magister debet se tenere sicut magister. Et esset magnum scandalum universitatis, quod Magister Coloniensis deberet facere talia. Ergo volo redire in patriam propter honorem universitatis.

Etiam alias non placet mihi Romæ: quia Copistæ et Curtisani sunt ita superbi quod non creditis: unus heri dixit mihi quod velit merdare super unum magistrum Coloniensem. Respondi quod deberet merdare ad patibulum. Tunc dixit quod ipse etiam est Magister, scilicet Curiæ, et unus Magister Curiæ prævalet magistrum artium de Almania. Respondi quod non est possibile. Et dixi 'tu velles esse ita bonus sicut ego, cum tamen non stetistis in examine sicut ego,<sup>5</sup> ubi quinque magistri rigorose examinaverunt me, et ergo es magister bullatus.'<sup>6</sup>

Tunc incepit disputare mecum dicens 'Quid est

magister?’ Respondi: ‘Est persona qualificata, promota et graduata in septem artibus liberalibus præcedente examine magistrali, privilegiata quod potest portare annulum aureum et sericum sub cappa, habens se ad suos discipulos sicut rex ad suum populum. Et Magister dicitur quatuor modis: uno modo a magis et ter, quia magister ter magis debet scire quam simplex persona. Secundo dicitur a magis et terreo, quia Magister debet esse terribilis in conspectu suorum discipulorum. Tertio a magis et theron,<sup>7</sup> id est status, quia magister in suo statu debet esse maior quam sui discipuli. Quarto a magis et sedere, quia magister debet esse maior in sua sede quam aliquis suorum discipulorum.’ Tunc ille interrogavit ‘Quis est autor?’ Respondi quod legi in vade mecum. Statim ipse voluit reprehendere illum librum et dixit quod non est authenticus. Respondi ‘Tu vis reprehendere illos antiquos, et tamen tu non scis melius. Ego neminem vidi Coloniae reprehendere talem librum. Non habes verecundiam?’ Et cum indignatione magna recessi ab eo.

Et ergo notatis quod volo redire in Almaniam, quia ibi magistri sunt domini. Et merito. Probo per Euangeliū. Quia Christus etiam vocavit se Magistrum, et non doctorem, dicens: ‘Vos vocatis me magister et dominus, et bene dicitis: sum enim.’ Sed non possum plus scribere, quia pro nunc non habeo amplius papirum; et est longum ad Campum floræ. Vale. Datum in Romana Curia. » (II, 23)

Finem faciamus de Obscuris Viris magnam propONENTES quæstionem: utrum semper et perpetuo faciendi sint syllogismi, an aliquando etiam liceat esse lætum. Quid autem sit lætari, nobis explicat, et quidem potius bis quam semel, Conradus quidam, de utilitate lætandi irrefutabilia afferens argumenta theologica:

«Conradus de Zuiccavia<sup>8</sup> S. D. M. Ortvino Gra.

Quia legitur Eccles. XI. ‘Lætare iuvenis in adolescentia tua’, quapropter ego nunc sum lætæ mentis, et debetis scire quod bene succedit mihi in amore. (...) Ego laudo quod aliquis semper est lætus. Et medici dicunt etiam quod sanum est quando aliquis est lætus. Quidam magister noster hic semper irascitur et nunquam est lætus, et propter semper est infirmus. Ipse semper reprehendit me et dicit, quod non debo amare mulieres, quia sunt diaboli, et perdidicant homines, et sunt immundæ, et nulla mulier est pura; et quando aliquis est cum muliere, tunc est sicut cum diabolo, quia permittunt nulli requiem. Tunc ego dixi ‘parcatis mihi, domine magister noster, vestra mater etiam fuit mulier’, et abivi.

Ipse etiam nuper prædicavit, quod sacerdotes nullo modo deberent habere concubinas secum, et dixit quod episcopi peccant mortaliter quando accipiunt decimam lactis et permittunt ancillas esse cum presbyteris, quia deberent eas totaliter expellere. Sed sit a vel b, nos

debemus esse aliquando læti, et etiam possumus dormire cum mulieribus, quando nemo videt; postea tamen facimus confessionem; et deus est misericors, et debemus sperare veniam. (...)

Valete in charitate non facta. Ex Liptzick. » (I, 9)

Hic necessario recordamur nonnullos eo tempore vehementer reprehendisse mores monachorum satis liberos. Erasmus, qui neque cælibatum, neque vitam monachalem pluris æstimabat quam matrimonium, in opere c.t. *Encomium matrimonii* (1518) scripsit hæc: «Nam si recte a veteribus philosophis dictum est (...) neque Deum, neque naturam quicquam frustra facere, cur haec membra tribuit, cur hos stimulos, hanc gignendi vim addidit, si cælibatus laudi ducitur?». Et sacerdotibus concedebat matrimonium; in eodem enim opere leguntur hæc: «Mihi sane videtur non pessime consulturus rebus ac moribus hominum, qui sacerdotibus quoque ac monachis, si res ita ferat, ius indulget coniugii.»

«Conradus de Zuiccavia S. Ortivino. Sicut scripsistis mihi quod non amplius curatis illas levitates, et non amplius vultis amare mulieres, vel supponere, nisi in mense semel, aut bis, ego miror quod talia scribitis. Tamen ego scio contrarium. (...)

Vos multum scribitis mihi de isto peccato, quod non est maius peccatum in mundo, et allegatis multis scripturas. Ego scio bene quod non est bonum; sed tamen etiam in sacra scriptura reperitur, quod aliqui sic peccaverunt, et tamen fuerunt salvati. Sicut Samson qui dormivit cum una meretrice,<sup>9</sup> et tamen postea spiritus domini irruit in eum. Et possum contra vos arguere sic: ‘Quisquis non est malevolus, recipit spiritum sanctum; sed Samson non est malevolus; ergo recipit spiritum sanctum.’ Maiores probo, quia scriptum est: ‘In malevolam animam non introibit spiritus sapientiæ’;<sup>10</sup> sed spiritus sanctus est spiritus sapientiæ; ergo. Minor patet, quia si illud peccatum fornicationis esset ita malum, tunc spiritus domini non irruisset in Samson, sicut patet in libro Iudicum. Etiam legitur de Salomone, quod habuit trecentas reginas, et concubinarum non fuit numerus; et ipse fuit maximus fornicator usque ad mortem suam; et tamen doctores communiter concludunt quod est salvatus.

Quid nunc videtur vobis? Ego non sum fortior quam Samson, et non sum sapientior Salomone, et ergo oportet aliquando habere unam lætitiam. Quia, ut dicunt medici, hoc valet contra melancoliam.

Ah quid dicitis de istis seriosis patribus? Tamen dicit Ecclesiastes: ‘Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo.’<sup>11</sup> Quapropter ego dico cum Salomone ad amicam meam: ‘Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa mea; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa mea.

Pulchriora sunt ubera tua vino,’ et cetera.<sup>12</sup> Per Deum, valde iucundum est amare mulieres, secundum illud carmen Samuelis poetæ:<sup>13</sup>

Disce, bone clerice, virgines amare,  
Quia sciunt dulcia oscula præstare,  
Iuventutem floridam tuam conservare.

‘Quia amor est charitas, et deus est charitas, ergo amor non mala res’: solvatis mihi illud argumentum. (...) Valete in nomine domini. Ex Liptzick. » (I, 13)

Acceptis huiusmodi argumentis theologicis, rogabit quis, quoniam modo pulchram possit seducere puellam. Nihil simplicius, dum rectam teneas agendi rationem. Quam tibi propono, optime lector, nam utilis esse potest: nemo enim scit quid serus vesper vehat, ut aiunt. His autem verbis valedicemus Obscuris Viris, quorum *Epistolas* fortasse tuo Marte legere perges, penitus percepturus quam magna fuerit fossa inter scholasticos et humanistas, et quam utilis fuerit horum «rurum eversio».

«M. Achatius Lampirius M. Ortvino Gratio S. P. D.

Valde miror, vir honorabilis, quod scribitis omnibus sociis et Amicis vestris Romam versus, et solum mihi non scribitis, cum dixistis tamen quod vultis semper scribere mihi. Sed intellexi ab uno qui venit ex Colonia quod velitis libenter habere illum artem de qua dixi vobis semel. Videlicet ut faciatis quod una mulier maxime amat unum. Quamvis iam non scripsistis mihi, tamen volo mittere vobis, ut potestis videre qualiter diligo vos. Quia non volo aliquid in secreto habere præ vobis, sed volo vos docere, ‘Quæ veteres sociis nolebant pandere charis.’<sup>14</sup>

Est autem talis ars illa. Sed non debetis aliquem docere: quia ita abscondo illam, quod non vellem docere fratrem meum; quia plus Amo vos quam Fratrem meum. Ergo volo participare vobiscum. Et faciatis sic:

Quando amatis unam mulierem, tunc debetis quærere quomodo vocatur ipsa et quomodo vocatur Mater eius. Et ponamus casus quod amatis unam quæ vocatur Barbara et mater eius vocatur Elsa. Tunc quæratis unum Crinem de capite ipsius Barbaræ et quando habetis illum Crinem, debetis esse contritus et confessus vel ad minus dicere Confessionem generalem. Deinde faciatis unam Imaginem de cera virginea et faciatis legere tres missas desuper ligando illum Crinem circum collum ipsius. Postea uno mane auditatis prius missam, deinde accipiatis Ollam novam vitreatam cum aqua et faciatis Ignem in una Camera clausa undique et faciatis fumum de thure et incendatis unam candalam de cera nova, in qua est modicum de Candela paschali. Deinde dicatis istam Coniurationem super Imaginem: ‘Coniuro te Cera per virtutem dei omnipotentis, per novem choros angelorum, per virtutem Cosdriel: boldriach: tornab. Lissiel farnach pitrax et Starnial,<sup>15</sup> quod velis mihi repræsentare in omni sub-

stantia et Corporalitate Barbaram Elsæ, ut obediat mihi in omnibus quæ volo.’ Postea scribatis circum caput imaginis hæc nomina cum stilo argenteo ‘Astrab + Arnod + Bildron + Sydra +’ et sic ponatis imaginem in ollam et aquam. Et ponite ad ignem. Et dicatis istam Coniurationem: ‘Coniuro te, Barbara Elsæ, per virtutem dei omnipotentis, per novem choros angelorum, per virtutem Cosdriel boldriach tornac lissiel, fornach pitrax et starnial, et per virtutem istorum nominum Astrob Arnod Bildron Sydra, quod statim incipias amare me ita quod sine tardatione velis ad me venire. Quia amore langueo.’

Et tunc statim quando aqua incipiet fieri calida, satis est: quia ita incipiet vos amare quod quando non videt vos, ipsa nescit ubi estis. Probatum est sæpe et totiens quotiens. Et debetis mihi credere quod ista scientia est valde preciosa. Et ego non darem vobis nisi amarem vos ita intentionaliter. Ergo vos etiam semel debetis mihi participare unum secretum. Et sic Valete cum sanitate vestra. Da. Romanæ Curiæ. » (II, 42) ☩

1. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, I p. 790: bursarii dicti, quibus ex eiusmodi bursis stipendia præstantur: quæ vox etiamnum obtinet in Academiarum publicarum scholasticis, quibus ob rei domesticae penuriam certa quædam stipendia exsolvuntur ex arca ad id destinata, ad peragendos studiorum cursus.

2. Vide superiorem symbolam: nummus in usu tam in Italia quam in Germania.

3. Menestrum: holera cocta. Cf. du Cange, V p. 340: menestra: vox Italica, pulmentum.

4. Du Cange, VIII p. 285: Veronica, Romanis appellatur tabella, in qua Christi Domini, pergantis ad Crucis supplicium, divino miraculo expressa effigies efformatur, quæ asservatur et colitur Roma in ecclesia S. Petri. Voce, ut quidam volunt, formata ex Vera Icon. (...) Veronica, imago tabellam prædictam repræsentans. A. Blaise, *Lexicon Latinitatis Medii Ævi*, Turnhout, Brepols, 1975, p. 951: Veronica (vera εἰκών), linge qui porte imprimée la face du Sauveur.

5. Nam in Curia magisterium emebatur.

6. Du Cange, I p. 777: Bulla, signum, quo vini venalis dolium notatur, ratio ne cuius certum quid exsolvitur, quod nuncupabatur etiam bulla. Hic ergo magister eo «bullatus» est, quod diploma accepit soluta pecunia.

7. ? στηρίζω, stare.

8. Zwickau in Saxonia.

9. Idc 16.

10. Sap. 1, 4.

11. Eccle 3, 22.

12. Ct 4, 9-10.

13. Agi videtur de Samuele de Monte Rutilo (*Lichtenberg* in Franconia).

14. Alexander de Villa Dei, *Doctrinale*, v. 4.

15. Quæ nugæ linguam Hebraicam imitantur.

## SI VINVM ESSEM

- *scripsit Joannes Teresi* -

**P**rimo quoque vespere autumno, cum adhuc sol tepidus amplectebatur glebas et sufflava folia vitium, in quodam vestibulo iuxta domum nostram nonnulli (quinque præsertim) consuescebant tabulam circumsedere ut chartulis iocum agerent.

Tempus interea metiebatur horas et lentum incessum vesperi. Usque ad noctem comites ibi manebant; sæpe aliquis ex iis tabaci camino utebatur fumum hauriens et tabaci odor mustique ferventis in cupis expandebatur undique et per solitarios angiportus.

Potui novi vini et iis ad iocum intentis Trinacriæ chartulæ commixtæ, quæ callosis manibus tenebantur, fere loquebantur, ioci modum iterque adficienes.

In amplio atrio patris domus vetus erat supellex ex acere albo materiata, magno speculo prædita, quod parvulas ferebat maculas, quibus multum tempus abhinc ornatum erat.

Speculum reverberabat modo partem atrii, modo ruris partem quæ longe extendebatur, modo imaginem meam fractam in tria fragmenta captam vitro forium apertarum.

Cubitum antequam irem, admirari amoenitatem loci solebam, qui colores suos mutabat cum vesper sensim accederet.

Aliquæ figuræ photographicæ locatæ erant super supellectilem repræsentantes parentes meos et viciniores stabant ampullæ affabre expolitæ, servantes optimum vetusque Lilybæi vinum ac liquorem domi confectum et pro variis occasionibus paratum. Egomet, at secreto, ipse gustabam illud nectar, cogitans quam acrius opus darent qui peragerent illud nectar, vitæ expressionem Mediterraneæ summam. Omnibus autumnis, quamvis multis annis post, silens, cupio adspicere aliquas imagines venientes foris in speculum illud se repercutientes subtiles et unicas, atque vela lino neta fluctuantia vento aulæ similia. Cum sim ante speculum mecum quæro: Quid afferre possit imago fragilissimo speculo capta? Forsitan gravem venustatem an gradus temporis transeuntis? Forsitan umbras, colores, lumina capta vel ficta? Ubinam veritas? Forsitan in oculis errantibus, in risu, in motibus animi inveniatur? Omnia sunt fragilia! Quidne fragilius quam punctum momenti, quod fugax, unicum est, et quod videtur pars spoliata entis transeuntis? Pariter ac per vitrum speculi transit imago fragilis capta in punto momenti et flatu animæ levissime delineata.

At mihi videtur hodie tempus numquam consumptum esse, adeo ut putem id impressum esse in figuris, odoribus liquoribusque iam captivis in limpidis crystallis. In alia figura photographica apud illas posita parentes mei me tenent manu prope viam quæ mare

radit, ii videntur intenti ad tempus futurum quærendum, ad veram libertatem; in alia tandem configuratur vindemia læta et iucunda.

Ita aliqua eventa videntur figuris exoriri, quasi exitus mihi præcipue contingentes: sacra communio solemnis pueri, matrimonium adultis, gaudium patris tenentis manu filium et matris tenentis inter brachia filiam minorem.

Vicissitudines possum dicere vitæ meæ se serere et nectere historiæ Trinacriæ regionis meæ, imbutæ sudore, sole amoreque.

Opus meum, patris et avi mei, nec aliud nisi inventur in vitibus, musto ferventi acris vini nigri sapore. Unde opus per tempora vi sua repetitur.

Si vinum essem, honori mihi esset animos imbibere, nexus inter præsens et præteritum tempus statuere, per venas currere et memoriam incitare non desinere. Veluti vinum, servo in me loca nota, odores, flavos flores teneros, colores ardentes pictos in cœlo et immenso æquore, qui mutantur mensibus subsequentibus.

Servo insuper cantu meo sonitus vocesque naturæ quæ ubicumque patitur sine intermissione damna et detrimenta ab homine stultissimo acta et peracta.

In summa in corde meo servo amorem erga eam et omnes odores quos vellem semper percipere et omnibus reddere notos.

Vini instar, fingo me quasi essem levissimum effluvium, cupio cantum me sequi larorum quam longissime me ferentium. At me miserum! repentinum desiderium a me dilabitur, etiamsi adspicere ultra fores non desino. Iam pro dolor! nemo hodie agit iocum chartularum, ea immo videntur manere facie aperta super tabulam ad cælum et lunam versus, cuius figura in poculis pingitur iam vacuis. Autumno hoc, vites factæ nudæ, etsi æquali ordine semper dispositæ, ex novo dederunt fructum suum pretiosum, et nunc quiescunt dum cicadæ implent loca cantu aspero. In agro, curis maximis culto, folia mortua levia fluctuant per aera et deinde cadunt statim super duras glebas. Araneas, crudam nuditatem ostendunt præterea rami. Tecta pariter videntur aenea, tegulæ fragiles sole calefactæ. Colore aeneo autumnus pingit montes, etiamque nubes minaces; servat memoria motus et affectus animi iam expertos, iam comprobatos.

Ita redeo ad primam cogitationem: vinum utinam essem! Efficerem ut gustaretur sapor vitæ meæ maturæ, ut daretur non solum fructus vitæ meæ interioris sed magis participes facerem alios ingenii mei poetici versibus et imis affectibus. Nullum dubium est quin indignus sim qui utar consimilibus verbis quæ

debent tantum stare in ore eius qui quotidie omnibus dat corpus et sanguinem suum sub specie vera et concreta; at hæc verba mea moralia sunt, exitus Sacrificii Supremi nos cohortantur scilicet ad imitandam Maximam Virtutem, in quam vertenda est vita nostra.

Non minus quam heri, quam tempore præterito, speculum veteris supellectilis adfert easdam imagines vitæ rusticæ reverberatas captas extra fores.

Tepidus ventus agitat vela super scænam vitæ, quod me incitat ad cogitandum! Sum... et ignoro quoniam via, mens, animus me adducant ultra momentum hoc.

Sum, at nescio quid respondendum sit a me cum

me interrogem de spatio infinito et de vita mea in hac divina re sine limite extensa. Itaque in eodem puncto momenti quo me interrogo, allectum inter scitum et ignotum, conscientius sum infinito æquore me capi Entis.

Hoc solum scio: me esse.

Tempus videtur ludere chartulis, sed denique ludum fallit.

Hæc imago speculo capta et in tria elementa fracta, quæ allegorice potest indicare tempus suspensum interfictas et veras res, nisi me ipsum exprimit extollentem vini calicem pro amicitia, amore erga liberos uxores remque, et vita. ☩

## DEVS IPSE ME SERVABIT!

*– scripsit Vinfridus Czapiewski –*

Temporibus ingentis inundationis vir quidam, stabilitus in fide, tempestate perterritus in tectum villæ suæ ascendit. Undæ crescent et crescent. Adiutores navicula advehuntur, ut eum recipient serventque. Vir, miseria oppressus, auxilium recusat dicens: «Navem non intrabo, Deus ipse me servabit!»

Nox fit, undæ ascendunt. Vir in culmine villæ hæret. Iterum navis advenit et adiutores clamant: «Ingredere!» At ille miser: «Non intrabo, respondet, Deus ipse me servabit!» Postremo helicopterum advolat. Viri eum in fumario villæ stantem vident fere

aquis submersum. «Capias scalas funales» clamant. At ille: «Scalas istas arripere nolo. Deus ipse me servabit!» Dixit – et aquis submersus mortuus est.

Ad Deum vir peruenit querens: «Totam vitam fideliter in Te credidi et præcepta Tua observavi. Cur Tu me non servavisti?» Deus benigne: «Egometipse duas naviculas misi tibi, ut te servarem, et insuper helicoterum. Quid insuper exspectavisti?» ☩

Secundum *Typisch! Kleine Geschichten für andere Zeiten*, Hamburg 2007, pag. 19.  
Imago: arca Noe (xv sèc.)



# BIBLIOTHECA LATINA

## DE NOVIS LIBRIS

Favonii EVLOGII *Disputatio de Somnio Scipionis*, Edizione critica, traduzione e commento a cura di Giuseppe MARCELLINO, Napoli, M. D'Auria Editore 2012, 145 p. ISBN 978-88-7092-333-9

Plures veri similiter antiquitus fuerunt de *Somnio Scipionis* commentarii; nam hanc magnificam immortalitatis imaginem Romani omittere non poterant. Tamen præter notissimum Macrobii *Commentarium* nihil nobis servatum est, nisi hæc Eulogii, qui discipulus fuit Augustini, *Disputatio*. Quod opus neque est commentarius grammaticus, neque philosophicus. Neque commentarius est, re vera, sed rei explicatio musica et mathematica. Nonne enim Pythagoras docebat mundum e numeris, naturæ concordiam ex harmonia constare?

Iosephus Marcellino nobis doctam hic præbet editionem criticam, una cum introductione, Italica versione necnon multis (et utilibus) adnotationibus.

Guy R. VINCENT, *Séceph l'Hispéen*, Paris, Orizons, 2013, 246 p. ISBN 978-2-296-08859-7

Guy R. Vincent, vir lingua Latina, Græca, Sanscritica, litteris mediævalibus aliisque disciplinis eruditus, antiquum narrandi genus hic restaurat: lectoribus enim saltem Francogallice legentibus longum carmen epicum offert magnis heroibus dignum, in quo neque deest iniuria, neque exsilio, neque expugnationes, neque spes neque desperatio. «Francogalli non habent mentem epicam», sæculo septimo decimo dicebat hellenista (necnon mathematicus) Nicolaus de Malézieu. Qui si revivisceret, sententiam fortasse mutaret!

Chatzi SECHRETIS, *L'Alipachade. Épopée épirote*, Texte traduit du grec et avant-propos de Guy VINCENT avec la collaboration de Georges KOKOSSOULAS, Paris, Orizons, 2013, 246 p. ISBN 978-2-296-08860-3

Vita illius Ali Pacha, quam Vido Vincent nobis enarrat in introductione (Francogallice conscripta), tam attractiva est quam fabula romanica: nobilis enim latro, miles, heros, centum videtur vixisse vitas. Chatzi autem Sechretis (c. 1740 - c. 1819), Albanus poeta illiteratus, de illo mirabili viro carmen epicum dictavit cuidam erudito Græco nomine Salonitoglou. Cuius magni carminis hic proponitur admirabilis versio Francogallica.

---

## DE NOVIS ZAVAVIS PONTIFICIIS

- *scripsit Alanus Van Dievoet* -

Multum loquuntur his temporibus acta diurna et diurnalista de his iuvenibus Belgis qui in Syriam, ab imanis incitati, iter faciunt ad dimicandum adversus regimen Syriæ et ad religionem Islamicam defendendam. Homines politici reprobant et indignantur. Sed quis adhuc recordatur ante non tam longum tempus etiam iuvenes Belgas, a clero incitatos, iter fecisse in

Italiam et zuavos pontificios factos esse ad potentiam et terras Papæ defendendas contra patriotas Italos. Multi ex his iuvenibus Belgis, in bello inæquali, misere interficti sunt et, quod peius est, ipsi interficerunt pro papa incolas Italiæ et strages fecerunt. Ut videmus res quasi similes sunt, solum religio mutata est. ☩



# *In hoc fasciculo !*

*De terribili quadam coniuratione [G. Licoppe] p. 1*

*Num in muris liceat scribere [F. Deraedt] p. 2*

*Pauca de Ludovico Vive, iuvene Ciceronis lectore [I. A. Rojas Carrera] p. 4*

*De immenso cælo (VII) [G. Licoppe] p. 7*

*Epistolæ obscurorum virorum (III) [F. Deraedt] p. 11*

*Si vinum essem [J. Teresi] p. 14*

*Deus ipse me servabit! [V. Czapiewski] p. 15*

*De novis zuavis pontificiis [A. Van Dievoet] p. 16*

*Bibliotheca Latina p. 16*

*Imago tegumenti: uvarum racemus – opus musivum Tuneti servatum in museo de Bardo.*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Martis die ab hora 18 ad horam 19.30. Lectiones  
incohantur mense Octobri.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.llicoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA